

ibant præcipites: filii autem Israel uno agmine persequentibus, debilitabant omnes, quos invenire potuissent.

5 Misit itaque Ozias nuntios per omnes civitates & regiones Israel.

6 Omnis itaque regio, omnisque urbs electam juventutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladii, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum.

7 Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde.

8 Hi vero, qui victores reversi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum, attulerunt secum, ita ut non esset numerus in pecoribus, & jumentis, & universis mobilibus eorum, ut a minimo usque ad maximum omnes divites fierent de prædationibus eorum.

9 Joacim autem summus pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith.

10 Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri:

11 Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, & post virum tuum, alterum nescieris: ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum.

12 Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

13 Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum a populo Israel.

14 Porro autem universa, quæ Holofernis peculiariter fuisse probata sunt, dederunt Judith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni suppellectili, & tradita sunt omnia illi a populo.

15 Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & juvenibus, in organis & citharis.

CAPUT XVI.

Canticum Judith ob victoriam: venit populus Jerusalem holocausta cum gratiarum actionibus oblaturus: tandemque Judith plena dierum moritur, & dies hujus victoriæ perpetuo apud Judæos in numero sanctorum dierum celebratur.

1 Tunc cantavit canticum hoc Domino Judith, dicens:

2 Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exaltate, & invocate nomen ejus.

3 Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.

4 Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.

5 Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cujus multitudo obturavit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles.

6 Dixit se incensurum fines meos, & juvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, & virgines in captivitatem.

7 Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus femine, & confodit eum.

8 Non enim cecidit potens eorum a juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.

9 Exiit enim se vestimento viduitatis, & induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.

10 Unxit faciem suam unguento, & colligavit cincinnos suos mitra, accepit stolam novam ad decipiendum illum.

11 Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus.

12 Horruerunt Persæ constantiam ejus, & Medi audaciam ejus.

13 Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arefcentes in siti.

14 Filii puellarum compunxerunt eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio a facie Domini Dei mei.

15 Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro.

16 Adonai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest.

* Gen. 1.
Psal. 3.
9.
17 Tibi serviat omnis creatura tua: * quia dixisti, & facta sunt: misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est, qui resistat voci tuæ.

18 Montes a fundamentis movebuntur cum aquis: petrae, sicut cera, liquecent ante faciem tuam.

19 Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.

20 Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii visitabit illos:

21 Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.

22 Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dominum: & mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas.

23 Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopœum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.

24 Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum, & per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith.

25 Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam, & Judith magna facta est in Bethulia, & præclarior erat universæ terræ Israel.

26 Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus.

27 Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.

28 Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, & dimisit abram suam liberam, & defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia.

29 Luxitque illam omnis populus diebus septem.
30 In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem ejus annis multis.

31 Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore usque in presentem diem.

LIBER ESTHER.

CAPUT PRIMUM.

Assuero ad potentie suæ ostentationem toto semestri splendidum celebrante convivium; regina Vasthi accersita venire recusat, ideoque repudiatur: & sapientum consilio edictum promulgatur, ut uxores maritis deserant honorem.

IN diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem provincias:

2 Quando fedit in folio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit.

3 Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis provinciarum coram se.

4 Ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentie suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.

5 Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum: & jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu confitum erat.

6 Et pendebant ex omni parte tentoria aerii